

Hermann Heltberg Laurentius Garlippus


Exercitationum Logicarum XI. De Syllogismo Formaliter Sumpto

Rostochi[i]: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729114856>

Druck Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 gfl.

35 1717





1670
13
Annunte & Benedicente Domino
Exercitationum Logicarum

XI.

DE
SYLLOGISMO
FORMALITER
SUMPTO.

Ad quam
In alma Rosarum Vniuersitate

Sub Presidio

M. HERMANNI HELTBERGII
Walfrodâ - Lunæburgici,

Respondebit

LAVRENTIVS GARLIPPIVS
Neobrandenburg. Megap.

Ad diem XV. Martij Loco ho-
risq; consuetis.



Rostochi

Typis Myliandrinis, Anno clc lcc X.

*Reverendus, doctrina, pietatis, ardenti Zelo
Clarissimis, nec non tam divinarum, quam politicarum rerum
cognitione, prestantissimis viris, Dominis Mecænatibus, fauto-
ribus, patronis, promotoribus & amicis suis, summa
animi benevolentia ac observantia,
colendis :*

Dn. M. IOACHIMO BANSOVIO,
Ecclesiæ Vismariensis, apud D. Georgium,
ministro vigilantissimo.

E T

Dn. IOACHIMO REIMARO,
Seniori Reip. Vismariensis Senatori gra-
vissimo.

Tum etiam

Dn. MARTINO Bockelen,
Ducis Megapolensium Secretario fide-
lissimo.

NEC NON

Dn. IOACHIMO REIMARO,
Juniori, Civi Vismariensi primario, quondam hospiti
suo charissimo.

ITEM

Dn. DANIELI GARLIPPPIO,
Judici Reipubl. Neopyrgensis dignissimo, Consan-
guineo suo clarissimo.

In gratitudinis debitæ debitum *πρωίεον*, hoc
exercitium submitte.

Confecrat

Respondens

Laurentius Garlippus Neopyrgensis.

Prooemium.

Res esse mentis nostræ operationes, primam simplicium apprehensionem, quâ res ipsas singulas per se intelligimus & concipimus, secundam compositionem & divisionem, quâ res intellectas copulamus vel disjungimus, tertiam discursum seu ratiocinationem, quâ ex noto ignotum discurrendo deducimus, testis est universa schola veritatis Aristotelica locupletissimus. Notum etiam, est harum operationum maximam curam in Logicis habendam & secundum harum ordinem totum Logicæ opus ordinandum & conficiendum esse. Nam primò cogitur Logicus à simplicium apprehensione auspicari & deinde ad compositionem & tandem à compositione simplicium ad ipsum discursum seu ratiocinationem progredi & procedere. Quia verò in apprehensione simplicium quæ in doctrinâ prædicabilium & prædicamentorum, & cõpositione & divisione, quæ in doctrinâ Enunciatiõnũ perfici & absolvi vulgò perhibetur, hactenus pro instituti nostri modulo satis superque desudavimus: idèò jam ad tertiam, discursum videlicet seu ratiocinationem quæ in doctrinâ syllogistica consistit, transitum instituemus.

Theorema Primum.

Syllogismus est oratio, in qua positis
A 2 quibus-

1. in prædicabilibus, prædicamentis.
2. in doctrinâ Enunciatiõnũ.
3. de qua Hic.

quibusdam, aliud quiddam diversum ab his, quæ posita sunt, ex necessitate, eò quod hæc sunt accidit.

I. Atq; sic tandem, per Dei gratiam, ad amplissimum & veritatis præcipuum eruenda instrumentum, ad cuius constructionem & perfectionem, ea omnia quæ hucusq; à nobis in præcedentibus exercitationibus sunt proposita, tendunt & aspirant. Nam primò prædicabilium & rerum tractationem propter veritatem, quæ omnis Philosophici actus finis & scopus unicus esse debet, & deindè etiam ipsarum Enunciationum considerationem, à nobis susceptam esse procul dubio novistis. Quia verò hæc instrumenta ad veritatem indagandam & invenendam erant insufficientia, ideò syllogismi, ad quem omnia ea in præcedentibus tradita simili modo quo simplicia corpora ad constitutionem mixtorum concurrunt, tendere manifestum est, tractatio & consideratio, cujus beneficio veritatem in ultimis rerum thalamis absconditam, in lucem protrahere, & apprehendere possumus, adhuc deconsideranda & instituenda erat.

II. Quia autem hac exercitatione de syllogistica structura agere nostri sit instituti, ideò non abs re fore putamus si ab ipsius vocabuli origine & consideratione, quæ homines sæpè in summam rerum de quib. sunt solliciti, cognitionem deducere solet, initium sumere & auspiciari placet, est itaq; syllogismus à Συλλογισμός quod in unam summam colligere, computare & rationes concludere significat. Erit itaq; syllogismus vocabulum Metaphoricum & ab Arithmetico, qui supputando ex numeris datis eliciunt alium numerum antea ignotum, mutuo sumptum. Nam quemadmodum ij, uti dictum, ex numeris notis ignotos eliciunt; ita etiam Logici discurrendo à notis positis ad ignota & obscura progrediuntur. Flac. Logic. general. lib. 5. cap. 2. Declarata ita vocabuli ipsius

prolatio nom
nis Sygmi

Syntagm
rhythmicum

ipsius origine, ad genus syllogismi à nobis, autore Philosopho, po-
 situm, declarandum descendemus. Facimus autem genus syl-
 logismi orationem, ubi diligenter vobis animadvertendum est,
 nos hic vocabulo orationis non exhibere vobis orationem verba-
 lem & foras prolatam, sed mentalem & in ipso animo constan-
 tem, cujus precedens verbalis oratio saltem signum est. Nec syl-
 logismus pro essentiali ut foras & externè per os efferatur agnoscit,
 sed per accidens & secundariò, quatenus Philosophus, qui syllogis-
 mi ab animo efformati signum exhibere laborat, hoc ipsum eidem
 convenit & attribuitur. Nam potest syllogismus saluus & in tota
sua essentia perfectus consistere, etiamsi nunquam per externam
orationem proferatur & in lucem edatur. His ita adhibitis, satis
 clarè stoliditas & nuga Ramaorum, Philosophi nostri genus
 syllogismi lib. 1. prior. Analyt. cap. 2. positum tanquam illegiti-
 mum reijcientium, manifestantur. Hi enim inter sermonem seu
 orationem verbalem & mentalem distinguere ignorant, & tamen
 aliorum scripta qua non intelligunt vel intelligere nolunt, arro-
 dere, & peniciosissimis suis deliramentis conspurcare, & pro luce
 tenebras, & veritate nugas hominibus vendere & offerre non
 desistunt. Nec movet nos Crellij objectio, quâ lib. Log. general.
 3. cap. 2. hujus generis veritatem in dubium vocare conatur idq;
 potissimum autoritate ipsius Aristotelis, qui multis in locis voca-
 bulo λόγος pro ratione utitur. Sed respondemus Crellio & alijs
 concedendo quidem Aristotelem multis in locis vocabulo λόγος ta-
 liter uti, sed exinde non statim, rationem genus syllogismi legiti-
 mum esse, colligi posse, cum nullo alio in loco Aristoteles quàm
in unico lib. 1. prior. analyt. cap. 2. de definitione syllogismi, &
vero ejusdem genere agere sibi proposuerit, atq; sic ex illis locis
 Crellij opinionem confirmari non posse, cum Aristot. illis in locis
 largè & generaliter vocabulo λόγος sit usus. Imò è contrario po-
 tius verum esse videtur, rationem non posse legitimi generis loco
 A 3. in de-

Genus Syllogismi
 oratio est

oratio est
 vel verbalis
 & mentalis.

Remitte respiciunt
 hoc Genus qd igno-
 rant distinguere.

Crellio de hoc
 genere dubi-
 tanti Respon-

legitimi
requiritur.

in definitione syllogismi adhiberi, cum ejusdem saltem latitudinis sit cum syllogismo, quod tamen si legitimi generis vices sustinere deberet, fieri non posset. Cum omne genus latius eo cuius est genus, esse debeat.

III. Dicimus deinde etiam in definitione nostra, quod syllogismus sit oratio, in qua positus quibusdam, per qua verba duas propositiones, majorem & minorem justo & legitimo ordine collocatas & dispositas volumus intellectas. Non enim ad constituendum syllogismum sufficit multas asserre propositiones & multa indistincte, confuse, & sine ordine ponere verba.

Medius term.
in prima Fig.

Sed etiam ut legitime & recte eadem collocentur & transponantur requiritur, ut sc. medius terminus in majori propositione subijciatur & in minori predicetur, ut omnis virtus est laudanda: Atq; justitia est virtus. E. justitia est laudanda; vel ut me-

Medius term.
in secunda Fig.

dius terminus fiat predicatum in utraq; propositione tam majori quam minori; ut Nulli Turca pacem cum DEO habent. Omnes verè credentes pacem cum DEO habent. E. Nulli Turca verè credunt: vel ut medius terminus fiat subjectum in ma-

Medi: term.
in 3. Figura.

iori & minori propositione, ut omnes hypocrita damnantur: Omnes hypocrita sanctè vivunt. E. quidam qui sanctè vivunt damnantur. Titelman. Log. suæ lib. 4. cap. 2. Crellius part. Log. commun. lib. 3. cap. 2. Gregor. Horst. Instit. Log. lib. 1. tract. 4. cap. 1. Iacob. Mart. Disput. Log. Domestic. 10. thes. II. Notandum deinde etiam est quod dicamus cum Philosopho positus quibusdam, quibus verbis indicare volumus syllogismum de quo hic nobis sermo est distinguendum esse ab Enthymemate, alijsq; imperfectis argumentationibus in quibus una præmissarum, vel aliqua pars desideratur, atq; sic non quadam propositiones, sed unica saltem in ijs ponatur & præmittatur. Flacius Logic. general. lib. 5. cap. 3. Gregorius Horst. Institution. Logicarum lib. 1. tract. 4. cap. 1.

Dicimus

Dicimus deinde in definitione nostra syllogismi ~~aliud quiddam~~
~~diversum ab his, quae posita sunt~~ quibus verbis conclusionem ex-
primere volumus, quod videlicet ex duabus propositionibus legi-
time dispositis conclusio recte inferatur, & sequatur. Dicitur
etiam in definitione aliud quiddam diversum ab his quae posita
sunt, ut indicetur conclusionem aliud quiddam & quidem di-
versum à propositionibus esse debere, cum idem per idem non pro-
betur, nec idem ex eodem, sed diversum quoddam inferatur &
concludatur. Crellius part. commun. Logic. lib. 3. cap. 2.
Hinc non immeritis dubitari potest, an conclusio inter partes syl-
logismi referenda sit? an verò eidem titulus partis syllogismi de-
negandus? nos non attentis in utramq; partem facientibus rationi-
bus cum D. Gregorio Horst lib. 1. Instit. Logic. tract. 4. cap. 17.
quaest. 3. distinguimus, & dicimus syllogismum dupliciter posse,
considerari & accipi, primo respectu illius quod inferitur per eum,
secundo pro toto processu rationis, & pro duplici hac consideratio-
ne syllogismi conclusionem syllogismi partem esse & non esse posse,
asserimus. In priori itaq; acceptione si sumatur syllogismus scilicet
respectu illius quod per illum inferitur, conclusionem ab essentia
syllogismi relegamus, cum inferens & illatum, tanquam causa &
effectus realiter sint distincta & à se invicem separata. + Secundo
verò modo syllogismus si accipiatur, ejusdem partis nomine con-
clusionem dignam estimamus, cum & illa in processu seu actu ra-
tionis quo à noto ad ignotum procedit & progreditur, contineatur &
claudatur. Dicimus etiam in finitione nostrâ syllogismus est
oratio in qua positis quibusdam, aliud quiddam diversum ab his,
quae posita sunt, ex necessitate accidit, per quae verba necessi-
tatem non materiae seu consequentis sed forma seu consequentiae
volumus intellectam. Non enim hic agimus de consequen-
ti, materiali, quò quoddam ex praemissorum quorumcumq; non
dispositionis legitima sequitur necessitate, sed de ea necessitate quae
ex praemissis duabus propositionibus recte & legitime se-
cundum

Conclusio nra
pars syllogismi

¶

cundum artis Logicæ præcepta dispositis, conclusio sequitur & inferitur Flac. Logicæ. General. lib. 5. cap. 2. Crellius part. commun. Logic. lib. 3. cap. 2. Iacob. Mart. Disput. Log. Dometic. 10. thes. 11. Gregor. Horst. Institut. Logic. lib. 1. tract. 4. cap. 1. Dicimus deniq; syllogismus est oratio in qua positus quibusdam, aliud quiddam diversum ab his quæ posita sunt ex necessitate accidit eò quod hæc sunt, quibus ultimis verbis ostendere volumus propter solam legitimam præcedentium propositionum dispositionem conclusionem sequi, & hac dispositione sublata, talem quoq; conclusionem qualem hic desideramus non dari posse: Sic exempli gratia non sequeretur hæc conclusio: E. Fortitudo est laudabilis, nisi prius hæc duæ propositiones legitimè & concinnè tribus terminis dispositæ præcederent, videlicet Omnis virtus est laudabilis, Fortitudo est virtus. Atq; tantum de Definitione syllogismi dictum esto. Plura tradit Math. Flac. Log. generalis lib. 5. cap. 2. Francisc. Titelman. Logic. lib. 4. cap. 2. Crell. Logic. part. commun. lib. 3. cap. 2. Greg. Horst. Institut. Logic. lib. 1. tract. 4. cap. 1.

Theorema Secundum.

Principia syllogismi sunt vel proxima vel remota: proxima sunt propositiones aliquid de aliquo affirmantes vel negantes: Remota sunt termini in quos resolvitur propositio.

de ordine principij.

I. Ne nomine principij hoc in loco quis decipiatur, & hunc ordinem nostrum in syllogismo declarando & explicando præposterum & inconvenientem arguat, dicimus nos hic per principia essentialis syllogismi partes ad ejsdem structuram & constitutionem

nem concurrentes & convenientes intelligere. Scimus enim a
 lias principiorum tractationem & considerationem precedere de-
 bere illius rei cuius sunt principia contemplationem, atq; sic si
 quadam principia syllogismi essent, eorum considerationem ipsum
 syllogismum precedere & non sequi debere. Hoc itaq; dubio re-
 moto, parium ipsarum contemplationem jam instituemus. Di-
 cimus autem in thesi nostrâ quod principia syllogismi (principio-
 rum autem nomine nobis partes syllogismi veniunt) alia sint pro-
 xima, alia remota. Proxima autem principia dicimus propositiones,
 quia propositionibus sublatis & ipsum syllogismum qui ex
 ijs conficitur tolli necessarium est. Sublatis namq; partibus essen-
 tialibus & ipsum totum etiam non amplius existere manifestum
 est. Quia autem de propositionibus in disputatione nonâ satis à
 nobis actum fuerit; ideo breviorum earundem tractationem in-
 stituemus. Nec moveat quemquam quod in prædicta disputatione
 semper vocabulo Enunciationis & non propositionis sumus usi.
 Propositio namq; & Enunciatio in eo saltem differunt, quod illa
 sit jam structuram syllogisticam ingressa: hæc vero adhuc extra
 ejusdem essentiam constituta. Dicitur itaq; quod propositio sit
 talis syllogismi pars quæ aliquid de aliquo affirmet vel neget,
 ut exempli gratia, quando dico Omnis homo vivit, est syllo-
 gismi pars aliquid de aliquo affirmans videlicet vitam de homine,
 cui illam inesse asserit & confirmat, sic quando dico: Homo non
 est arbor, vobis exhibeo exemplum partis syllogismi aliquid de
 aliquo negantis, quia hæc Enunciatio de homine negat arborem,
 & eam eidem tanquam prædicatum conveniens inesse & attri-
 bui posse inficiatur. Sunt autem duæ partes seu propositiones syl-
 logismi, major quæ ex complicatione majoris termini cum medio
 & minor quæ vulgò etiam assumptio vocatur, ex combinatione
 minoris cum medio oritur. De conclusione autem quid senti-
 endum sit, in præcedenti theoremate satis declaratum esse au-
 tumamus.

Proxima principia.

Propositio & Enunciatio differunt.

Propositio

B

Atq;

r. Simplex extra propositionem syllogismi consideratur & est utrumque terminum
quod syllogismus se indifferentem habet, & modo predicatum modo Subjectum
in syllogismo ingressus considerari potest.

vel propositiones syllogismi
ingressus ite

Termini
non simplex
& predicatum
subjectum

Atque sic principiorum seu partium propinquarum natura
declarata, ad remota declaranda descendemus. Sunt autem prin-
cipia syllogismi remota ipsi termini simplices, ex quibus non pri-
mario & proximè, sed remote solum syllogismus constat & consi-
citur, mediantibus scilicet propositionibus. Differunt etiam ter-
minus simplex & predicatum & subjectum in eo solum quod ille
syllogismus sit ingressus, hæc vero extra eundem adhuc constitu-
ta. Ex hoc etiam facile quid terminus simplex sit, cum de subje-
cto & predicato qua idem sunt, in disputatione aliqua præcedenti
sit satis peractum, poteritis cognoscere. Dicimus verò in theo-
remate nostro quod principia remota syllogismi sint in qua resol-
vatur propositio, pro cuius effati declaratione exemplum adduci-
mus tale: Homo est animal, Hic est Enunciatio qua resolvi
potest in duas partes, subjectum videlicet & predicatum. Homo
enim subjectum est, quia subijcitur in hac Enunciatione, & de
eo animal tanquam predicatum de suo subjecto predicatur: ani-
mal deinde in hac Enunciatione vel propositione predicatum est,
& homini tanquam predicatum subjecto suo attribuitur. Sunt
deinde in quolibet syllogismo tres & non plures termini, Major,
Minor & medius. Major terminus est qui predicatum fit in con-
clusionem: minor verò cui fit subjectum in conclusionem & medius
verò est qui bis ponitur ante conclusionem, sed eam ingreditur
nunquam & conjunctus cum majore propositionem majo-
rem, complicatus verò cum minore propositionem mino-
rem constituit & efficit: Sic in exemplo hoc ipsum declara-
bimus tali: Omne bonum est appetendum: Atqui virtus est bo-
num. E. virtus est appetenda. In hoc syllogismo sunt tres termi-
ni, major, minor & medius: Major terminus est appetendum,
quia est predicatum conclusionis: Minor deinde est virtus, quia
est subjectum conclusionis: Medius denique est bonum, quia bis
ponitur ante conclusionem. Nam primò fit subjectum in majore
propositione, & deinde predicatum in minore. Ingitur quoque
nunquam

Major.
minor.
medius.

nunquam conclusionem. Sic in hoc syllogismo idem demonstrabi-
mus: Omnis homo est animal: Lapis non est animal. E. lapis
non est homo. Hic homo est major terminus, quia fit predica-
tum in conclusione: Minor verò est lapis, quia est subjectum
conclusionis: Medius verò est animal, quia bis ponitur ante
conclusionem. Est namq; predicatum tam in majori quam minori
propositione. Neg² ingreditur hujus syllogismi conclusionem.
Flac. Logic. general. lib. 5. cap 3. Jacob. Martini Dispu-
tationum Domesticarum Logic. 10. thes. 6. & 7. Grego-
rius Horst. Institutionum Logicarum lib. I. tract 4. cap. 2.

Theorema Tertium.

Syllogismus dividitur in perfectum & imperfectum. Perfectus Syllogismus est qui ex duabus propositionibus & conclusione secundum artem Logicam, & tribus terminis legitimè dispositis constat: Imperfectus est cui vel aliqua propositio, vel aliquid aliud quod eidem adesse debeat, deest.

I. Postquam in precedenti theoremate essentiam syllogismi per definitionem, & principiorum seu partium ejusdem considerationem sumus contemplati, consequens jam esse, ut de divisione ejusdam agamus videtur. Monendi tamen in principio statim estis, hanc syllogismi divisionem si adeò accuratè loqui, & rē perpendere vellemus, non esse accuratam & convenientem. Non enim definitio syllogismi in primo theoremate proposita, utriq; tam perfectò quàm imperfecto ex aequo & equaliter, attribui potest, quia uni primariò & propriè, alteri verò secundariò & impropriè con-

B 2

de Divisione Syllogismorum.

venit. Diximus namq; ibi quod ex quibusdam pramissis id est ex duabus propositionibus tribus terminis constantibus & legitime dispositis, aliud quiddam diversum ab his, id est conclusio accidat, quod non de omni syllogismi specie, sed saltem de perfecta dici & predicari potest. Nam multi sunt syllogismi in quibus vel una pramissarum deest, ut in hoc Enthymematis exemplo patet: LEO est. E. animal est. Hic enim conclusio non sequitur ex duabus propositionibus pramissis & legitime dispositis, sed ex unica saltem consequitur & infertur: sic etiam multi sunt syllogismi in quibus conclusio non ex duabus legitime dispositis & pramissis propositionibus, sed ex tribus consequitur, ut in hoc syllogismo patet: Si hominem interfecit, morte dignus est, Atq; hominem interfecit. E. morte dignus est. In hoc syllogismo non ex duabus saltem, sed tribus propositionibus conclusio consequitur, & accidit.

Ex his satis apparet syllogismi divisionem in perfectum & imperfectum non esse generis in suas species proprie sic dictas, sed analogi in sua analogata. Quia definitio syllogismi generalis in primo theoremate proposita uni speciei videlicet perfecta per primum, alteri vero videlicet imperfecta per posterius convenit.

III. His ita de divisione nostra pramissis, dicimus syllogismos perfectos nobis esse omnes syllogismos trium figurarum. In his enim syllogismis ex duabus saltem propositionibus legitime dispositis & non paucioribus vel pluribus consequitur & accidit: ut Omne animal sentit: Atq; homo sentit. 2. Homo est animal: Nulli temporarij salvantur, Quidam credentes salvantur. E. quidam credentes non sunt temporarij. Quidam homo est iustus: omnis homo est mortalis. E. aliquis mortalis est iustus. Hic habetis trium figurarum syllogismos in quibus omnibus ex duabus propositionibus & tribus terminis legitime dispositis, & non ex paucioribus vel pluribus conclusio sequitur. Erunt ideoq; syllogismi tantu perfecti ij qui secundu praecepta philoso-

Syllogismi trium figurarum sunt perfecti.

Syllogismi perfecti.

Analogi in sua analogata ut s; sanguis, urina sana, cib; sanus analogata s; cib; urina, homo. signa iudicantis sanis. totum q; sit sanguis, sanus, sanus & analogum.

philosophorum, juxta ordinem & modum disponendi in tribus figuris propositum & traditum conficiuntur.

III. A syllogismis perfectis ad imperfectos transimus. Dicimus autem quod syllogismi imperfecti sint in quibus aliqua propositionum deest, ut quando dico. Homo est. E. animal est. Hic quidem syllogismum profero, sed eum, cui una praemissarum deest, nec partes tres seu termini ut major, minor, medius legitime in eo sunt dispositi. Dicimus deinde imperfecti syllogismi & illi sint in quibus aliud quid deest, hoc est in quibus vel aliqua propositionum redundat seu in quibus plures quam duae propositiones conclusionem praecedunt, ut, Si Iohannes virginem vitiauit, debet eam ducere. Atq; Iohannes virginem vitiauit E. debet eam ducere. Hic non ex duabus propositionibus, sed ex tribus conclusio sequitur, & inferitur. Pertinebunt itaq; ad syllogismos imperfectos, syllogismus hypotheticus, Enthymema, Sorites, dilemma, aliisque argumentationum species imperfecta, quae non secundum praecipua in tribus figuris syllogismorum proposita & tradita secundum partes sunt disposita & ordinata Jacobus. Martin. Disputat. Log. Domest. 12. thes. 22. Gregor. Horit. Institutionum logic. lib. 1. tract. 4. cap. 16.

imperfecti
syllogismi.

Theorema Quartum.

Fundamenta & radices omnium syllogismorum sunt duo: Dictum de omni, & dictum de nullo. Dictum de omni est, quando nihil sub subiecto assumi potest, de quo praedicatum non dicatur: Dictum de nullo est, quando nihil a subiecto removeri potest,

B 3

de

de quo etiam non removeatur prædicatum.

I. ^{sc} *Propositis & enarratis syllogismi definitione, & divisione, jam quadam fundamenta, quibus omnes syllogismi nituntur, cum philosophis subiiciemus. Non autem moveat quæquam quod omne fundamentum sit prius ea re cuius est fundamentum, atq; sic doctrina fundamentorum syllogismorum ante ipsius syllogismi doctrinam, tradenda sit. Non enim hic ordinem natura, sed melioris & facilioris cognitionis sequimur.* Dicimus autem thesi nostra quod dictum de omni sit tale fundamentum syllogismorum, cuius ratione nihil sub subjecto assumi possit, de quo prædicatum etiam non prædicetur. Quibus verbis indicare volumus, quod omnia quæ sub subjecto alicujus propositionis in syllogismo continentur & comprehenduntur, contineantur etiam sub prædicato, & quod prædicatum de ijs possit prædicari, atq; hoc fundamento omnes syllogismi affirmativi nituntur. Sic V. G. Omne animal est substantia: Omnis homo est animal: E. omnis homo est substantia. In huius syllogismi majori propositione subjectum est animal, prædicatum verò substantia. Nihil ideoq; continetur, sub animali de quo substantia non prædicetur. Sic sub animali continetur homo: E. de homine potest prædicari substantia, sic sub animali continetur, brutum, homo, leo, vacca, Asinus, Petrus, Paulus, Henricus. E. etiam de bruto, homine, leone, vacca, asino, Petro, Paulo, Henrico, & omnibus hominibus substantia potest prædicari. Dicimus deinde quod dictum de nullo sit, quando nihil à subjecto removeri potest, de quo etiam non removeatur prædicatum, h. e., omnia quæ de subjecto removentur & sub eodem non continentur, de ijs prædicatum dici & prædicari nequit, atq; hoc fundamento superstructi sunt omnes syllogismi negativi. Sic quando gico: Nullum animal est lapis: Omnis homo est animal. E. nullus homo est lapis. Hic subjectum majoris est animal à quo lapis universaliter removeretur: removebitur itaq; etiam de omnib. sub

dictum de
omni.

dictum de
nullo.

*sub animali contentis ut homine, Bruto, Petro, Jacobo, Asino, lupo.
 Nam rectè dico, Homo Brutum, Petrus Jacobus, Asinus lupo,
 non sunt lapides. Atq; hæc de syllogismi essentia, speciebus, partib. &
 fundamentis pro instituti ratione in medium protulisse sufficiat.*

COROLLARIA.

- I. An Definitio syllogismi Aristotelica sit bona? Aff.
- II. An Ramus jure hanc definitionem, tanquam illegitimam accuset? N.
- III. An conclusio sit pars syllogismi? D.
- IV. An syllogism^{us} de quo hic agimus sit planè immateriatus? N.
- V. An sol sit essentialiter calidus vel frigidus? Neg. utrumq;
- VI. An idem syllogismus possit dari bonus quoad formam & falsus quoad materiam? Aff.

Ad doctè pium & piè doctum juvenem,
LAURENTIUM GARLIPPUM

NEOBRENDENBURGENSEM.

Amicum suum amicorum optimum.

Ceu Pharetratus, ruiturus hosteis,
 Miles, in densos, lateri sinistro
 Fulgida accingit, subit atque mulcum,
 Arma, pericli:

Sic avet quicunq; etiam vocari
 Miles in castris charitum venustum,
 Et cupit vafros procul arte propul-
 sare sophistas,

Arma procuret sibi fulgida arte:
 Præbet armorum satis una certè
 Ars perexcellens Logices, juvatq;
 Militis arma:

Arte

Arte LAURENTI tibi amice pectus
Hacce dum firmas, Pataræus odæ
Hos tuos tantos, celebrat labores
Auctor APOLLO.

Atq; Naiades etiam puellæ
Laude te multa referunt sub astra,
Atque circumdant tua gloriôsâ
Tempora lauru.


MARTINVS BAMBAMIVS Pentzlinensis f.




Segniter haud veterum libros & inertibus horis
Volvit, qui Logicæ est cognitionis amans.
Nec modò lætatur Logicâ, sed acumine mentis
Eximium attingit, quod fluit inde decus.
Haurit & Aonidum generosas montibus artes,
Croesi divitias, quæ superare valent.
Pigritia huic minimè suadebit parca laboris
Sed magè sunt cordi numina Thespiadum.
Associatq; sibi Charitum tria numina, dia
Numina, quorum ornat tempora grata fides.
Hæccine te stimulent, LAURENTI, insignia laudis,
Quæq; refers studijs præmia digna tuis?
Fervidiore agedum, curâ invigilare camænis
Aonijs satages, fama perennis erit-
Perge labore tuo, LAURENTI, Jova beabit
Conatus coeptos, perge labore pio.

ALEXANDER, GYPSIVS Gryphiswaldensis Pom.

ad Euod: 275. 2. quæ in propositione tanq; confidens terminum
simplicem tanq; subiectum & predicatum - ut
homo est risibilis quia est rationalis hic rationale est terminus
nq; simplex & consideratur tanq; in subiecto.
quæ extra hunc tanq; confidens terminus est terminus simplex
cum no cadit hinc & est indifferenter
ex illo vel subiectum & predicatum in subiecto





306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, sed per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione effectus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document